



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

L. Die Bischöfe von Havelberg und von Schwerin befehlen dem
Dechanten, dem Capitel und den Pfarrern zu Lübeck, die in Folge des
Mandates des päpstlichen Legaten Hugo gegen die Stadt Lübeck für den

...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

XLIX. Markgraf Joham von Brandenburg verträgt sich mit der Stadt Lübeck über verschiedene Vorfällenheiten und Schäden, deren von beiden Seiten nicht mehr gedacht werden soll, und verspricht derselben und ihren Bürgern seinen besondern Schutz, am 20. April 1252.

Nos Johannes, dei gratia Brandenburgensis Marchio, Recognoscimus et litteris presentibus protestamur, quod, mediantibus nostris fidelibus et vassallis, inter nos ex una, et vniverfos Ciuitatis Lubeke Burgenles, ex parte altera, talis est compositio ordinata, uidelicet, quod omnis discordia et rancor, qui inter nos et eosdem Burgenles uersari iam dudum uidebatur, ex causis diuersis incidentibus atque dampnis, penitus abolitus esse debeat et sopitus pure et simpliciter, omnes dissentionis ac odii causas alterutrum dimittentes; ita etiam, quod earumdem iniuriarum seu dampnorum, ipsis a nobis, uel nobis ab ipsis illatorum, a nobis de cetero nulla prorsus fieri debeat mentio, nec ab ipsis: eisdem nichilominus nostros fideles, ad predictorum observantiam ampliorem, promittere facientes, quorum nomina sunt hec: Gerhardus de Kirkowe, Henricus de Bardeleue, Hanro de Iriskifleue, Cunradus de Osterborch, Milites, et Gerardus Lupus et Bernardus de Saltwedele, noster Burgenlis. Preterea, predictos Burgenles speciali uolentes prosequi gratia et fauore, ipsos et eorum Ciuitatem cum bonis omnibus, que in presentiarum possident uel etiam adipisci poterunt in futurum, in nostram tuicionem recepimus et conductum, nolentes, ipsos ab aliquibus nostris fidelibus, et specialiter a dominis Comitibus de Dannenberch, Henrico de Emelendorp, Hermanno de tralowe, et Henrico de Crumesse, quousque in nostri sunt domini terminis constituti, ac etiam generaliter ab omnibus nostrum mandatum ac uoluntatem adimplere uolentibus, impediri aliquatenus uel turbari, et dantes ipsis super eo presens testimonium litterarum, Sigilli nostri munimine roboratum. Datum Wollmerstede, anno domini M^o. CC^o. Quinquagesimo Secundo, XII. Kal. Maij, Indiction. X.

Aus der Lübeckischen Urkunden-Sammlung I, Nr. CLXXXIII.

L. Die Bischöfe von Havelberg und von Schwerin befehlen dem Dechanten, dem Capitel und den Pfarrern zu Lübeck, die in Folge des Mandates des päpstlichen Legaten Hugo gegen die Stadt Lübeck für den Fall, daß dieselbe vor dem 16. Junius den Markgrafen von Brandenburg als ihren Herren sich nicht unterwerfen sollte, ausgesprochene Excommunication zu vollziehen, am 30. Mai 1252.

Dei gracia Havelbergensis et Zwerinensis Episcopi. Honorabilibus uiris Decano, Capitulo et plebanis in Lubeke salutem et sinceram in domino caritatem. Cum, sicut a venerabile domino, fratre Hugone tituli sancte Sabine presbytero cardinale, apostolice sedis legato, accepimus in mandatis, uniuersitatem ciuium lubicensium nostris litteris monuerimus studiose, ut nobiles principes Marchiones Brandenburgenses in dominos

reciperent, et eis tamquam regi in omnibus obedirent, iura regalia exfoluendo; et ipsi nostras monitiones infra terminum eis a nobis prefixum non adimpleuerint: nos, mandatum nobis a dicto domino legato iniunctum preterire non audentes, in dictam uniuersitatem ciuium Lubicensium, si memoratos principes Marchiones Brandenburgenses ante dominicam post diem Beati Viti nunc proximam in dominos non receperint, et eis tamquam regi in omnibus non obediuerint, iura eis regalia exfoluendo, ex tunc excommunicacionis sententiam in nomine patris et filii et spiritus sancti ferimus: quam uobis, auctoritate nobis iniuncta, in uirtute sancte obediencie, sub pena eciam excommunicacionis precipimus firmiter obseruari, ita ut ex tunc a diuinis cessetis, et nulla porrigatis ecclesiastica sacramenta, preter poenitencias moriencium et viaticum et baptismata paruulorum. Datum Sandowe, Tertio Kal. Junii.

Aus der Lübeckischen Urkunden-Sammlung I, Nr. CLXXXV.

LI. Vogt, Rath und Gemeinde der Stadt Lübeck bitten den Cardinal Hugo, sie von der gegen sie vollzogenen Excommunication zu befreien, so wie ihrer Befreiung von der ihnen aufgelegten Herrschaft der Markgrafen von Brandenburg bei dem Römischen Könige Wilhelm und der Erhaltung ihrer vormaligen Reichsunmittelbarkeit sich anzunehmen, (vermuthlich aus der zweiten Hälfte des Junius 1252).

Venerabili domino ac patri in christo, Hugoni, Tituli sancte Sabine presbytero Cardinali, apostolice sedis legato, Aduocatus, Consilium et commune Ciuitatis Lvbicensis cum debita reuerencia et honore seruicium ad omnia uoluntarium et paratum. Litteras vestre paternitatis, dominis Zuerinensi et Havelbergenfi Episcopis a uobis directas, et ab eisdem ad nos transmiffas anno gratie M^o. CC^o. L^o. secundo, XVI^o. kl. Junii, hanc formam recepimus continentes: (Inf. Nr. XLVII). Nos autem, ex hoc mandato preiudicium libertatis ac iuris nostri nobis imminere uidentes, sicut ex rescripto priuilegii, quo dominus Fridericus olim, cum adhuc esset Romanorum Imperator et fidelis ecclesie filius, Ciuitatem Lubicensem ob meritum ac fidelitatem honorauit, euidenter cognoscere poteritis, pro huiusmodi grauamine coram discretis uiris, scilicet Canonicis Lubicensibus, fratribus predicatoribus et minoribus, nec non et aliis tam clericis quam laicis fide dignis, canonicam interposuimus appellationem, nos et nostra patrocinio ecclesie commendantes, cuius appellationis causam et formam, diligenter conscriptam, prefatis dominis et Episcopis, mandati uestri exsecutoribus, ante prefixum nobis terminum sine mora transmiffimus. Venerabiles autem domini et exsecutores uestri, canonicæ appellationi nostre minime deferentes, et quia in contemptum iuris et iusticie et contra formam mandati uestri, decano, canonicis et plebanis Ciuitatis nostre dederunt in mandatis sub hac forma: (Inf. Nr. L). Cum autem decanus et pauci canonici, qui presentes erant, nam alii maiores et discretiores, in quibus consilium ecclesie dependebat, absentes erant, hanc executorum uestrorum litteram recepissent, licet scirent ex certis causis et rationibus, se potuisse mandatum ipsorum executorum declinare, utpote qui suspecti erant et fines mandati excellant,